



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 7. Doris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

cuius causâ multa bella Caledonios inter, & Pleuronios enata sunt. Deinde Reip. speciem sibi informarunt, diuque regibus Macedoniæ satis animosè restiterunt, vtentes suo Concilio quod *Panætolium* dicebant. Sed cum Romanos contempserint à Fulvio Nobiliore domiti, potentiam & animos truces deposuerunt.

N V M. 7. *Doris, & Dore.*

NOMEN. *Doris* à Doro Hellenis filio nomen accepit, vel vt alij malunt filio Deucalionis, quem pater vnà cum aliis filiis emisit ad nouas regiones occupandas, vno tantum secum retento. Hic autem Dorus ad Parnassum montem confidens incolas eius Dore appellauit.

QUALITAS. Regio hæc tota asperior, & montibus interscisa. MORES. Linguâ elegantissimâ vsi sunt, & quæ sola lyra harmoniam temperaret. Bellicosi fuere, atque in galeâ tulere setas equinas, vt viderentur magis terribiles, quare *τετραδεις* ab Homero dicti, non à tribus vrbibus. Musicæ supra reliquos Græcos additi fuere.

POLITIA. Colonias in varia loca sparserunt, Calcedonem in ore Ponti, vbi & cæci dicti sunt quod deteriorem locum elegerint. In Sicilia Syracusas condidere, vt vult *interpres Pindari*, & vrbes ibidem aliquot. Dyrhachium quoque incoluisse tradit lib. 1. Thucydides.

§. 4. *De Peloponneso in genere.*

NOMEN. *Ægyalia* olim dicta fuit hæc regio ab *Ægyalo* Inachi filio; postea *Ionia* ab Atheniensibus qui eam occuparunt: tum *Apia* ab Apide Rege vt vult *Pausanias*, vel vt *Athenæus* lib. 4. à Pirorum prouentu; quamquam *interpres Theocriti* malit *Pira* dici *ἀπὸ πύργου*; ab ea regione. Demum Pelops ex Phrygiâ huc delatus Peloponnesum nominauit, quasi *Πέλοπος νῆσος*. Stephanus ait quoque Inachiam dictam esse: Homerus Argos videtur nominare, vel ab vrbe nobili, vel ab Argo custode Inus vaccæ, vt ait *interpres Euripidis*. *Strabo* quoque ex Ephoro tradit dictam esse *Pelafgiam*; vtrum autem dicta sit Pelafgicum Argos, an sola Laconia, discussum leges apud Gerbelium.